



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

LVIII. Certo exitio à S. Ignatio apparente ereptus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

quenda, instaurantur quæcumque ad recipiendam priorem adhibita fuerant pœnæ, professio fidei, eiuratio dæmonis, exorcismi, S. Ignatij merita, & votium de illo sacrum, ac diuini epuli sumptio, sub quæ grandis ciconiæ deformi corpore adest dæmon, minore tunc inuenis iam diuinitus confirmati, quam exorcistæ spectantis metu. Syngraphum alterum rostro bestia sustinebat, quod precibus ad S. Ignatium ardentem, & crebro iteratis, velut sibi excidere passâ est, statimque conspici desuit. Curiosius humidi frustra quæsitum in altari tandem comparuit, eo ipso loco vbi eiurantis dæmonem iuuenis, chitographum fuerat à Sacerdote repositum. Hinc Deo, Ecclesiæ, ac sibi redditus adolescens, suæ post Deum libertatis S. Ignatio debitor, Christianè deinceps vitam instituit.

LVIII.

*Certo exitio
à S. Ignatio
apparente
ereptus.*

Noctu cælo pluuio, & obscuro Ioannes Luzzanus Olbesiensis plaustrum uehebatur, cum aliquot itineris sociis, veneratque ad locum, Turriculæ nomine, præcipitem, & angustum. Quare deflectens in prærupta plaustrum, ruinam traxit in subiectum solum altitudine hominum trium. Ioannes cadens exclamauit; ades S. Ignati! Quod autem solutum allisu uehementi plaustrum Ioannem operiret, obrutum comites putarunt, accurreruntque ad illum inde extrahendum, sed præter improuisum metum, nihil ei acciderat; nam quem in auxilium vocarat, adstiterat iuuantis habitu, atque ipsas quoque in heri gratiam seruarat mulas.

LIX.

*In partu pe-
riculoso præ-
sidium.*

Fuit Victoria Delphina Laurentij Altierij nobilissimi Romani coniux: ad hanc partui vicinam anno huius sæculi tertio vocatus est è nostris Sacerdos, confessionem auditorus, & adfuturus morienti, nam defectiones animi crebræ, suspiciosi anhelitus, & profluvia sanguinis immodica, mortem instare nunciabant. Perfunctus officio confessarius, imaginem illi S. Ignatij protulit adhortans plurimum, ad salutem ab eo certa cum fiducia sperandam: illa imagine reuerenter accepta Sancto Ignatio vicem suam ex totis præcordiis commendat. Sacerdos ruaritum afflictissimum consolatur, qui eo auctore vouet de sepulchro S. Ignatij ter pie adeundo, Eucharistia sumenda, religioso donario affigendo; quod votum ægrota ratum etiam habuit; Pergebant interea defectiones cordis, virium, sanguinis etiam ad triginta libras, credebaturque obitus imminere, at confidentior affirmabat confessarius, rem propterea in extrema deduci, vt esset miraculi euidencia clarior. Nec vero illum fefellit opinio; dum enim nostri ex veteribus erga nos domus illustrissimæ meritis, ægrotantis periculo solliciti S. Ignatio supplicant, sensim illam inuadit partus dolor, cessant animæ deliquia, vires instaurantur, intra horæ dimidium, partum edit solito grandiosem, & mortuum, sed viuorum more præmisso capite effusum; & contra quam virium, & sanguinis ferebat iactura, hoc vno se ex partu ægrota robustior & expeditior, quam ex vilo antea recepit: quod miraculo factum qui iacentem curarant testati sunt medici Marsilius Cagnatus, & Angelus Victorius. Ipsa virtutis tota Roma perspectæ, multas deinceps vitæ horas, quam S. Ignatio acceptam ferebat, ad eius sepulchrum quotidie orando expendit.
Mariam